

do sedem fixit materia, ita eam cum parte velut propriam specificamque consuescere, ut sanationi non facile sit locus, & votis iam suspiriisque illa in articulos recidiua frustra optetur. In decrepitis longoque morbo confectis & inter errores venae sectionis & purgantium plus debilitatis parum spei est. Si febricula surgit, plus auxilii impendet pro noua expulsionem, quam si languores adsunt cum summa animi morositate. Semper eo peior est prognosis, quo propius vitalitatis sedi imminet malum, & eo melior, quo magis distat. Cerebro iam & pulmone affecto, imprimis si aliquamdiu haeserit malum, nihil fere est promittendum; plusculum sperandum, si quasdam partes abdominales non ita diu afflixit; plurimum, si alii articuli obsideantur.

§. XVII.

Therapia podagrae retropulsae, quae materiam ex interioribus visceribus in pedum latibula rursus expellere nititur, tres sibi format indicationes. Prima materiam propellendam meabilem reddit & motui aptam. Secunda extremi pedis resistantiam minuit, eumque ad recipiendam materiam podagricam relaxando disponit. Tertia vim vitae ad materiam extrorsum deducendam intendit. Atque haec sane superius descriptas repellentium virtutes, sed ordine ratione terminorum inuerso, exprimunt. Vltro patet, his tribus conditionibus e diametro aduersas esse venae sectionem, purgantia & opiata; siquidem nec corrigunt materiam podagricam, nec euacuant, nec extrorsum determinant, sed, quod hic maxime metuendum est, vim vitae, quae vegetior corrigere adhuc possit, fortassis etiam eliminare, certe extrorsum propellere, suspendunt & opprimunt. Inter quae tamen prudentis medici iudicio relinquimus, an plethoricos, & suppressis e. c. haemorrhoidibus laborantes leni euacuatione adiuuare, imo dolore spastico fere enectos
miti